



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

Cap. XXVII. De obitu S. Wvnebaldi Abbatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

## De obitu S. Wunnebaldi Abbatis.

**U**m autem plenitudo temporis aduenisset, qua pietas Dei B. VVunnebaldum de huius seculi erumoso ergastulo misericorditer euocaret, venerabilis Abbas & Confessor Christi iam dictus, graui infirmitate correptus, cursum vitæ cōsummauit, & de huius peregrinationis exilio ad coelestem patriam, & de transitorio labore in requiem sempiternam quinta decima Calendarum Ianuarij feliciter introiuit. Cuius corpus sanctus VVillibaldus frater eius cum multitudine virorum ac mulierum ad exequias sancti viri concurrentium, cum deuotione psallentium Clericorum, & orationibus Monachorum, sanctarumque Virginum in oratorio, quod Venerabilis Pater Deo fabricauerat, honorifice sepeliuit: quod idem oratorium sanctus Præsul VVillibaldus ad Dei honorem & fratris dilectionem postea amplificauit, & multipliciter adornari præcepit.

*Obijt s. Wunne-  
baldy anno dñi  
DCC LX.*

*s. VVillibaldus  
celebrat exequias  
fratri suo VVunne-  
baldy.*

*Accursus ad  
has exequias.*